



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Annales Heremi Dei Parae Matris Monasterii In Helvetia Ordinis S. Benedicti**

**Hartmann, Christoph**

**Friburgi Brisgouiae, 1612**

Thietlandvs Ex Allemanniae Dvcibvs Heremi Abbas Secvndvs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38545**



THIETLANDVS EX  
ALLEMANNAE DV-

GIBVS HEREMI AB-  
BAS SECVNDVS.



ANNO nongentesimo nono & quinquagesimo, bellum aduersus Sclauos Cæsar moliebatur, Politæq; vrbe Bohemiæ principum conuentum frequentem habebat. At non ille tot inter regni, & Imperij turbas, hostes, & dissidia Heremitarum, quos singulari veneratione complectebatur, immemor, sed illis, quacumque oblatâ occasione benè faciendi promptus, & audus, quidquid iuris, & proprietatis, Guntramus Comes, qui paulò ante, bello quod aduersus patrem susceperat Luitolphus, maiestatis damnatus, & Comitatu, possessionibusque exutus

*A.D.X.*  
*CCLJ.*  
*LIX.*

F erat, in

erat, in vico, Eschentz vulgò nominato, Turgouix habuerat vltro, & liberalitate solità S. Meginradi cellæ obtulit, & in perpetuū cōsignauit. Diplomate super eā re factō, quod sic habet.

*I*N nomine Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Otto, Diuinā fauente Clementiā Rex. Notum sit omnibus fidelibus nostris presentibus scilicet, & futuris, Qualiter nos cum consultu fidelium nostrorum ad aternā remunerationem promerendā quādam res iuris nostri in Ducatu Alamānico, in Comitatu Burckardi Ducis Turgouue nuncupato, in villa Aschinza talē proprietatē, qualem Gundramus Comes in ipso loco obtinuit, sibiq; ob perfidiam sui reatus iusto iudicio publice in ius Regiū est dyudicata, ad Monasterium Meginrades Cella nuncupato, in honore sanctæ Dei genitricis MARIE, & sancti Mauritiū martyris Christi constructo, monachisq; in eodem loco commorantibus firmiter in proprietatem condonamus, cum omnibus ad eamdem curtem nostram iuste pertinentibus, Ecclesiis, curtis, curtilibus, mancipijs, agris, pratis, pascuis, siluis, aquis, piscationibus, molendinis, cultis, & incultis, quasiris, & inquirendis. Iussimus quoq; hoc præceptum inde conscribi, per quod volumus, firmiterq; inbemus, quatenus monachi præfati monasterij liberam habeant potestatē de eadem proprietate, quidquid placuerit, faciendi, vel iuste fruendi. Et vt hac auctoritas firma sit, propria manu, eam firmauimus, & sigillo nostro muniri præcipimus.

*Signum Domini Serenissimi Regis.*

*Lutolfus Cancellarius ad vicem Vuillehalmi archicancellani recognouit. Data VII. Idus Ian. Anno incarnationis Domini DCCCCLVIII. Indictione. I. Regnante Pio Rege Othone, Anno XXIII. Actum Polishe. In DEI nomine feliciter. Amen.*

Sed post Luitolphī fortissimi iuuenis in Italiā obitum, nullo jam resistere, aut se opponere auso, multo acerbius agere Berengarius cæpit, nihilque pensi, aut æqui arbitrari, cuncta pro libidine, & insitā crudelitate habere, mare superum

nauibus

nauibus in pyratæ speciem infestare, percurrere, postremo nihil omittere vnde omnium odium, & metum sibi compararet. Quamobrem frequentes non jam ab Ioanne modo pontifice, sed omnibus prope Italiæ Episcopis, Comitibus, & Ciuitatibus, literæ, & legationes ad Othonem peruenerunt, afflictæ tandem, & nisi subueniret, jamjam ruituræ Italiæ protectionem reciperet, reuocataq; ac repetitâ prouinciæ dignitate, vnde Imperij decus, & nomen exortum, nefandis perduellibus ne vltra sineret prædam esse, & ludibrium. Vnde tot precibus, & rationibus fatigatus Otho, Italicam tandem expeditionem serio aggressurus, anno nongētesimo sexagesimo primo, Ratisbonæ, Bauariæ, Saxonix, Allemāniæ, Austriæ cōuentum, mense Ianuario, & Februario celebrauit, quæq; Germaniæ paci, quæq; Italico bello, summâ curâ, parauit. Talia agitantem Burcardus Allemāniæ dux, Heremitarum, exemplo superiorū Allemāniæ principum, fautor eximius, & aduocatus, rogauit supplex, quatinus post Eberhardi obitū monachi, ex ante concesso priuilegio, Hermāni ducis rogatione, Thietlandum subrogarant, ita post eiusdem Thietlandi, quādocumq; eueniret, discessum, alium, qui aptissimus videretur, legere, & Heremo præficere possent, gratiam, & licētiam facere ne graueretur. Otho non modò eam gratiam fecit, sed monasterium rursus in suam protectionem suscepit, omni iudiciariâ potestate Heremitas, eorū adnexos, domesticos, & extrarios subditos exemit, liberam Abbati, collegioque agendi, cōstituenti, quæque in vsum, quæque in bonum facultatem plenissimam indulfit. Priuilegij exemplum inserui.

*IN Nomine Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Otto, DEI gratiâ, Rex. Nouerint omnes fideles nostri presentes namq; & futuri, Qualiter Burcardus Dux nostram deprecatus est clementiam. Quatenus pro DEI amore loco, qui vocatur EBER HARDE S cella, vbi idem prædictus dominus EBERHARDVS heremita Ecclesiam in honore DEI genetricis MARIE, & sancti Mauritiij, caterorumq; sanctorum DEI, ipsiusque adiutorio à fundamentis adificauit, ac cetera adificia monachis*

inhabitandum construxit, quã & modo venerabilis Abbas Dietlandus dignanter regit, ac monachis præsi DEO ibi subregulari disciplinã militantibus, Priuilegium nostræ auctoritatis, atq; immunitatem, quam ceteris monasterijs concessam habemus, electionemq; concederemus. Cuius petitionem benigne suscipientes ob amorem Domini nostri IESU CHRISTI, nostraq; mercedis augmentũ iussimus hoc nostræ auctoritatis, ac immunitatis Priuilegium conscribi, Per quod volumus, firmiterq; iubemus, vt post obitũ præfati patris Dietlandi, monachi eiusdem Celle, qui superuixerint, monachicamq; uitam, DEO auctore, in præfata Cellã Eberhardi bonæ memoriæ obseruauerint, ac illorum successores, à modo, ac deinceps firmissimam teneant potestatem eligendi quemcumq; inter eos Abbatem uoluerint. Et vt nullus ex iudiciariã potestate constitutus aliquam super eos habeat potestatem, vel super eorum causas, seu super familiam illorum, intus, vel foris sibi concessam: sed eiusdem Celle Abbas potestatiuè, cum suis monachis ad illorũ necessarios vsus firmiter possideat, absq; ullius contradictione. Et sub nostrã defensione, ac immunitatis tuitione res illorum perẽniter permanent, ad illorum, vt supra diximus, necessarios vsus. Et vt hac auctoritas nostræ confirmationis firmiter, stabiliorq; habeatur, ac per succedentia tempora à cunctis uerius credatur, ac diligentius obseruetur, manu nostrã eam confirmauimus, & annulo nostro sigillari iussimus.

*Signum Domini Ottonis inuictissimi Regis.*

*Lutolfus Cancellarius ad vicem Vuilhelmi archicapellani subnotauit. Data IIII. Non. Febr. Anno Dominice Incarnatiõis DC CCCLXI. Indictione IIII. Regnante Pio Rege Ottone, A. XXVI. Actũ Radisbonã. In DEI nomine feliciter. Amen.*

Non contentus Burcardus priuilegiorum ab Cæsare impetrare confirmationem, Heremitas suã quoque liberalitate percolere studuit, sui que in eos amoris, & obseruantie testimoniũ extare. Itaq; Menidorfum, & Eslingam nobiles Tigurini Comitatus vicos eorũ iuris fecit, nullam benefaciendi, & melius volendi occasionem prætermisit. Ceterum, Ratisbo-

nenfi con-

nenſi conuentu dimiſſo, alium Vormatiæ totius regni indi-  
xit. Ibi Othonem ſeptennem puerum, procerum adproban-  
te ſuffragio, Cæſarem designauit, eumque Aquisgrani, feſto  
pentecoſtes, coronandum curauit, & Brunoni fratri Coloni-  
enſi Archiepiſcopo, & Gulielmo filio Maguntiacenſi antiſtiti  
educandum, & erudiendum tradidit. Inde, magnis copijs, per  
Tridentinas valles in Italiam proſectus, Berengario nuſquam  
progredi auſo, & Adelberto Corſicam profugo, primo vere  
anni ſequentis, Romam peruenit. Vbi maximâ pompâ, &  
majestate, omnibus ordinibus obuiam effuſis, populus Ro-  
manus, & in primis Ioannes pontifex ſummus, tamquam li-  
beratorem, & tyrannorum domitorem, ſuſceperunt. Pau-  
cis in eâ diebus per negotia, & vrbis reparationem abſumtis,  
ab Ioanne coronam, & benediſtionem Imperialem popoſcit,  
antiquorum Imperatorum more, quem tot ab Arnulpho Im-  
per. tyranni, ſupra ſeptuaginta annos, corruerant, & prope  
aboleuerant. Peracta coronationis celebritas feſto paſcatis  
11. Kalen. Aprilis, incredibili omnium lætitiâ, populo, clero-  
que certatim, fauſtis vocibus, Auguſto Imperatori felicita-  
tem, & victoriam adclamantibus. Poſt ſolennitatis, & pu-  
blicæ lætitiæ feſta, & relaxamenta, cum aliquantum temporis  
Romæ Imperator adhuc ſubſtitiffet, Ioannem pontif. amicè  
ſui officij admonuiſſet, quæque ex eo ſcandala, quæq; dama-  
na in vniuerſos redundarent pluribus oſtendiſſet, copias vrbe  
eduxit; cetera belli Berengarici perſecuturus. Montem Fere-  
trum, S. Leonis opidum vocant, aliquamdiu obſedit, loca alia  
occupauit. Denique, auctumno jam adulto, reſtitutis, quæ  
cumque ab perduellibus receperat, Eccleſiæ opidis, exerci-  
tum in præſidia; ipſe ſe Ticinum ad hiberna tranſtulit. Eius  
abſentiâ admonitionum impatiens, & ad deteriora præceps,  
ſimul vlcifcendi ſpe Ioannes, Corſicâ, quo ſe abdiderat, A-  
delbertum reuocauit, cuiusque præſidio tyrannidem ferocius  
agitare Romæ cepit, hoſtem ſe Imperatoris manifeſtum de-  
clarauit, omne ſupplicij, & crudelitatis genus erga Cæſarianos  
exercuit. Quæ vbi ad Othonem relata, maturè occurren-  
dum ratus, priuſquam per tempus mala adoleſcerent, verſus

A. D. X.

CCLJ.

LXII.

A. D. N.  
CCID.  
LXIII.

Romam anno nongentesimo sexagesimo tertio reduxit exercitum. Sed Ioannes, antequam aduentaret, facinorum, & iustæ indignationis, poenæque sibi conscius, direptis S. Petri thesauris, vrbe profugus, Apuliæ montibus se abstruxit. Adelbertus quoque Corsicam, vnde aduenerat, elapsus est. Romam Otho ingressus, vbi ex Cardinalium, procerumque sermonibus, quæ per sauitiam, & lubricitatem in se admiserat Ioannes, percepit, magno dolore inflamatus ad eum destinavit, qui publicâ fide, ad causæ dictionem accirent. Cum non appareret, populus, clerusque ad Imperatorem conuersi sunt, quando Ioannes contra libertatem, & per factionem electus, ad eum improbè officio functus esset, indignumque sede pontificiâ, & tantâ dignitate se præbisset, potestatem legendi alium, quem merita commendarent, & summi in terris honoris capacem ostenderent, permittere dignaretur. Imperator, solitâ modestiâ, non id sui muneris Pontificem abdicare, aut instituere, cum respondisset, legent, nominarent, quem maximè probauissent, auctoritatem non negaturum, facto concilio, magno eorum qui aderant Episcoporum consensu, & suffragio, contumaciâ, & improbitate Ioannis damnatâ, Leonem VIII. Idibus Decembris Romanum Pontificem declararunt, sacramentumque, nullâ morâ, & cetera solita præstiterunt. Dum hæc, & alia geruntur THIELANDVS, jam ætate exitâ, & corpore adfecto, cum se oneri imparem putaret, simul varijs, quæ se ferè offerebant, negotijs in varia traheretur, aut quia sibi prope vltima vitæ adesse, aduerterat, Abbatis munus abdicauit, & breui sanè postea extinctus est v. Kal. Iunij. Mortuum ante Virginis Matris Sacellum à latere Eberhardi composuerunt. Erat THIELANDVS Burcardi frater, Buochorni, Lintgouix, Rhingouix, & Turgouix superioris Comitum, quem ob fortitudinem, & opulentiam, vt supra retulimus, Cunradus Rex I. Allemanniæ ducem eius nominis II. fecerat. Ad Heremum cum jam ætate vergente venisset, in eâ prope annos sex & viginti peregit, varijs semper publicæ rei curis exercitus, & prope prius Monasterij rector, quam monachus. Vi-

uente

uente Eberhardo annos quatuordecim fabricæ intendit, o-  
 nusque domestici gubernamenti tulit. Vbi esse desijt, annos  
 quinque, menses nouem Abbatem egit, insigni prudentiâ,  
 integritate, eruditione, quippe, qui ad D. Paulli epistolas  
 commentaria composuerit, teste Hermanno Contracto. Ce-  
 terum post eius obitum Heremita Gregorium Anglum vna-  
 nimi consensu succedere voluerunt. Non me latet traditum  
 Cōtracto, & veteri in super libro denicali notatum, triēnio an-  
 tē, Anno, videlicet, eius seculi sexagesimo, Gregorium abba-  
 tem factum esse. Verum cum ex diplomate Ottonis sexage-  
 simo primo Heremo Abbatis nomine, & dignitate præfedis-  
 certum sit THIELLANDVM, nō potuisse vno vtrumq; tempore  
 eiusdem dignitatis, & officij munus obire prope manifestum  
 est: nisi, eo anno, Gregorius administrationem monasterij sus-  
 ceperit, THIELLANDO ætate grandi, & tot laboribus, & curis  
 minus idoneo, qui ad eò præter titulum nihil vsurparet  
 dominationis, qui titulus, eo postea defun-  
 cto, vna cum dignitate ad Grego-  
 rium deuolutus sit.

